3. T

# GALENI

## LIBER DE MARASMO SPECIE TABIS

Interpræte Nicolao : Lauachio Medico Florentino .

M. D. XXXVI.

# NICOLAVS LAVACHIVS MEDICVS FLORENTINVS ANDREAE THVRINO, REGIS GALLIARVM MEDICO DOCTISSIMO. SALVTEM.

DICAS TV FORTE peritiſſime uir: cum librum leges: coi[illegible] quæ petieris: quæq; pollicit' ipſæ ſim: me nihil præſtitiſſe: Cum quẽ libellũ ædo: iam diu ab eruditiſſimo æditus legať. Noſti uero: qđ meminiſſe animalibus q̃ multis: homini tantum reminiſci licet. Qđ memoriter ſeruare quæ iam capta ſint: quã reminiſci præſtat. Et ꝙ incognita: plane ſeruari: & in memoriam retrahi non poſſunt. Sed quæ mens frequentius conceperit: eadem ſeruare memoriæ promptius: & reuocare licet. Libellum quem Galenus de Maraſmo inſcripſit: iam diu in latinam linguam ame uerſum: tuo dicatum nomini: non ea nunc ratione ædidi: ut auditoris officio erga præceptorem uterer: nec ut aliquibus amicis indulgerem: ſed ſuaſu Galeni authoris feci: qui non ſemel: bis'ue legendum eſſe librũ moneat ſed ſententiis & uerbis quibuſcunq; eius: adeo eſſe inſiſtẽdũ: ut nõ modo reminiſci: ſed me-

moriter eũ ſeruare ualeamus: Hanc rem mino-
ri quis negocio adipiſcatur: ſi tertiam etiam: &
quartam: legerit interpretationem.
Cum quæ pluries medita-
mur: & cõcipimus:
eadem in me-
moriam
reuo-
care & ſeruare prõptius poſſimus: frequen-
tati.n.uero actus: habitum
plane efficiũ-
unt.

V A L E.

## DE SPECIE TABIS QVAM GALENVS MARASMVM APPELLAVIT.

MARASMVS Corruptio cor-
poris uiuẽtis eſt aſiccitate. Sed cum
bifariam corruptio dicatur: ꝙ una
fiat: alia iã facta ſit: ut primo ſigni-
ficatu: nomen nunc recipias: eſt
opus. Quo pacto & exactus: & qui etiam num fi-
at: de quo dicere inſtitutum nunc eſt: maraſmus ap-
pellatur. At quoniam uiuẽtis corporis corruptio-
nem: maraſmũ eſſe diximꝰ. Ex uniuerſo autẽ entis
cenſu: tria tantum uiuere dicantur: animalia: plan-
tæ: atq; ſemina: & propter ea fructus: a maraſmo to-
tidem arripi poſſe: proprie dicentur: Alias corrup-
tiões quotquot à ſicco ſunt: maraſmos metaphori-
ce uocaueris. Quare igni: hiſq; ꝑterea: quæ ſenſim
corrumpantur: eſt ſignificatus nominis traductus.
Nos cunctis (quæ impropriæ tabeſcere dicuntur
miſſis) de præfinita mox tabe: ea præſertim quæ
corpori uiuenti incidat: dicere ſtatuimus: Et ne-
ceſſario complectentur in ſermone plantæ. Cum
uero modis quattuor ſimplicibus & primis: ui-
uentia cuncta corrumpantur: quià ſint: elementa

ſubſtãtiæ ipſoꝶ quattuor. Illa a maraſmo & tabe arripi dicimus quæ ſiccitas corruperit. Si enimuero calidi frigoriſqꝫ lite intra terminos ſtante: corpus duntaxat fieri aridum contingat: tabes utiqꝫ & maraſmus ſimplex erit: ꝙ ſi intemperantior calor: aut frigiditas acceſſerit: compoſitus corruptionis modus fiet: atqꝫ geminus. Hinc fit ut ex inediis ſimplex oriri tabes uideatur: horum accidens: qui aſſumptis etiam cibis non alantur: & illorum qui ꝙ edendo non ſit: propterea exuriant. Qui cum frigiditate uero eſt maraſmus: ſenio confectos habet: hoſque qui affectu ſenio ſimili fuerint detenti. Qui autem ex calore fit: febribus quibuſdam hecticis contingit. Cæterum: plantarum corpus totum: & quamcunqꝫ partem: ex corruptione quæ a ſicco ſit: dicimus tabeſcere: animalium non dicimus: ſed corpus tabe abſũmi totum affirmantes: de ſingulis nomen id ferre partibus non conſueuimus. Impreſenti autem: non de his quæ ob affectum partis: ſed quando tabeat totum corpus dicere proponimus. Hinc liquido apertũ eſt: ꝙ ſi corporis totius ſit affectus tabes: affici animal ſine principis membri paſſione nequeat: ſicut neqꝫ affectus quiſq̃ alius (membro principe aliter affecto) fieri in toto poteſt. Propterea tabidis ſiccari cor oportet. Si cauſas igitur quæ cor ſic-

cum

cum facere poſſunt cognouerimus: liquido an inſanabilis maraſmus quiſq; ſit: uel ſanari aliquis poſſit cognoſcemus. Satius autem ſit forte: & nunc orationem ad principia reuoluere. Per oportunum autem ſit principium: ſi ſenectutis cauſam nouerimus: quia ineuitabilis penitus ex maraſmis ſenium uidetur: uſq; adeo ut ſecundum naturã illud eſſe cẽſeas. Nãq; opera naturæ omnia neceſſarium ordinem eius adepta: euitari nequeunt: Quo circa: quid (ſecundum naturam) dictio ſignificet: prius extimaſſe expedit. Non enim ac nutriri: & augeri: ſecundum naturam eſt ſenectus. Illa enim naturæ opera ſunt: non autem ſenium: ſed ex neceſſitate eſt inſequens affectio. Cum genitorum animalium: quod nequeat ſenio capi nullum extet: adeo uſq; ut aliqui (ſenium) omnia quæ natura regit: neceſſario ſequi aſſeuerent: Quo ſenſu: ſi a natura ſenectam eſſe capiamus: ſignificatus dictionis alios: ab aliquibus: ut alibi monſtrauim• perperam creditos: cenſere minime ſit opus: neque ſcrupulus in oratione amplius ſuperſit. Enim uero ſi ut dictum nunc eſt: ita affirmant: liquido ſecundum naturam: & ineuitabile eſt ſenium: ſi quidem neceſſario naturæ opera ſubſequitur. Nil minus Philoſophus tempeſtatis noſtræ quidam: quod citra ſenium uſque ſuper-

eſſe liceat: librũ conſcripſit: quem ædidit fere qua-
dragenarius. Ad octogeſimum autem annũ: uſque
adeo cõſũptus ſiccuſq; uitã ꝑtraxit: ut Hippocratis
præſagiorum uerba: neminem decerent magis:
" Nares acutæ: incaui oculi: collapſa tempora: fri-
" gidæ: & contractæ imis eorum in uerſis aures:
" cutis faciei dura admodum: tenta: atque arida.
" Vbi igit̃ iſtiuſmodi cunctis uiſus: riſum mouerat:
nõ ultra auſus: quo pacto ſeniũ uitarit: alios doce-
re: ſecundam æditionẽ de admirabili ſenectæ cui-
tatione tradidit. Hoc enim nomine eam toto
uolumine dicebat. Ad hæc demonſtrans: ꝙ non
cuiq; ſenium effugere liceret: ſed naturam ido-
neã præterea requiri: idq; ſi fundamenta ſint cum
primis alimentis iacta. Pollicitus eſt ſi idoneis
ſtatim anatali die pueris aſſiſteret: eorum corpo-
ra reddíturum immortalia: quibus cum pro-
miſſis culpare non licebat: cum quos ſuſcipe-
ret natos: uiros ante obitum eius fieri non fo-
ret. Dannabant inſaniam eius ſupinam: ferme
omnes: At ego ꝙ multa & uaria: experientiiſq;
aduerſa placita: a pluribus uiris logicis: rationum
ui deceptis: promulgari nouerã: mirũ ut iuris eſt:
neq; etiam id cenſui. Quod enim genitũ: omnino
interire debeat: ſcientificam: nec firmam ſequelã
ullã habet: ſed ut apodixeon libro diſſeruimꝰ qua-

tenus

tenus perſuaſione poſſit. Nil minus quotqu oe ſenium uiuentibus neceſſario irrepere demonſtrant: fere omnes ratione hac uſi: mediũ id ineuitabile in debitã natis omnibus corruptionem eſſe aſſeuerant. Experientia alioqui ſola: ſenium ſecundum naturam eſt & neceſſarium: ſicut interitus: quem qui liberius pronuntiant: & nata omnia neceſſario mox interitura dicunt: neutiquã monſtrarunt: Vnde experientiam: ſophyſtis oppugnare ſupereſt. Quam rem efficere credo ille ratus eſt: qui ſeneſcere & mori inſcitia animal dicebat. Sed ſatius forte ſit cauſam ſi qua eſt demum: cur animalia & plantæ ſenectutem ineant rimare. Arida enimuero fieri uidentur qualis affectus: ſenectutem præſtat: quãquam ſecus aliqui credentes: frigidos eſſe ſenes & humentes dicant: Verum ꝙ falſi ſint in libro detemperaturis demonſtrauimus. Num uero ut quidam ¢ propterea ſicceſcant: ꝙ innatus animalium calor ignis inſtar: ex quo fomite accenſus eſt augeatur: inde paſtus amoueri nequeat: unde omnia ſortitur ¢ Enim uero quæ nuper genita ſunt animalia cũcta humore affluunt: unde illius copia: ſuffocatus fere calor fumidus: tardus: & motui ineptus uix erumpit. Spacio autem uicto fomite: ualidior effectus: non turbidus: non fumeus: ſed ſerenus: & lucens iam euaſus: muniis propriis

quibuſcunq; (uacans obice) fungitur. Et flam mis par: quæ humidioribus lignis inherentes: humoris affluentia obrutæ: initio exiguæ ſe præ ſtant atq; imbecilles. Spacio feruntur ſenſim: atq; augentur. Mox potiores fomite fiunt: Eo demum ſubacto: q ipſarum ſit uigor: in immenſum cre ſcunt: Ab hoc abſumpto fomite languent: & inte reunt: Hoc exemplo inquiunt: naturalem calo rem: corpori uiuo tanq̄ fomiti coniunctum: initio humidum eſſe: atque imbecillum: mox auctus ad uigorem uſq; excandeſcit: augeturq;: & ignis imitatus flammas: molem in maiorem fertur. Demum alimenti egenus (quod ſeneſcere eſt) languet pedetentim: Poſtremo (quod eſt interi tus) penitus extinguitur. Sermo hic (nequaq̄ uerus) ab omnibus pene tum medicis iunio ribus: tum etiam Philoſophis probatur: q me iudice: male uiuentium calorem cum flamma ignis conferant: Obliti q unde pendent: flam mis ex corruptione fomitis eſt ortus: At non ſic a formatore ſuo: innato calido: uiuẽtia dependẽt. Sed ſicut quæ augeri ab ipſo poſſint: ac modera bunda: Nullo nec tempore hic radicali humido calor non inheret: non formare tantum: ſed alia complura potens. Trahens enim alimen ta: digerit: apponit: unit: ſimilitudinem etiam adii ciens. Et ut omnia paucis complectar in ſubiecto

fomite:

ſomite: contrarium ac flammæ omnino emolitur. Quæ enim flamma? cui ſit alligata materiam accreſcat? Quæ alimēta materiæ potius q̄ ſibi ſimilia efficiat? Quæ quo ſomitem ſeruet: tot organa reperiit? partes has ueſtiens: & eo uſq; cōtegens: nequid extrorſum redūdare poſſit. Aperiens ecōtrario alias: lataſq; & riuorū plenas faciens: his alimēta trahēs: illis ſpirituum calorē cohibens. Excremēta hinc craſſa: inde tenuia deriuans. Traducā hoc ego imprudens loco: ſi omnes naturæ operationes ordine nunc repetam: integrū de uſu partium uolumen. At opinionis auctores eius: innatum calorē: & naturā pro eodem habent. Quocirca cum flāmis illum parum recte comparant. Qđ ſi Hippocratē (unde gignimur calorē) corpora corrūpere: & interimere: nos dicentē aſſerant. Qđ nō ſit Hippocratis legitim⁹ liber aſſeremus: Siq; Hippocratis: fuiſſe mētem hanc: dederimus: quorſum ſic dixerit: declarandū eſt & demonſtratione aliqua firmandū. Cæterū ſi q̄ demonſtrare nequeant: tantū fidei ſibi arrogare uelint: liquido aberrāt. Quod. n. innato calido corpora ſeneſcūt: & ſenio cōfecta corrūpunt̄ uerū eſt. At quo fieri exēplo mōſtrāt: eſt nō ue℞. Nō. n. ac flāmæ tigna: ſic calor uiuentū corpora corrūpit. Ho℞ nāq; exēplū magis ꝓpriū forte his ſit: q cōſumūt̄ febribus: quā rē: repetitis antea uerbis Hip. plane īſinuauit.

Quod autem naturæ progreſſu: corpora ſiccent:
quodq; innatum id calidum efficiat: ut primo de
ualetudine tuenda demonſtrauimus: & neceſſa-
rio nunc repetemus: eſt undequaq; uerũ. Effec-
trix enimuero animalium & ſtirpium natura: ne-
ceſſario corporeum aliquid generationis: & opi-
ficii initium aſſummit: Cum quæ ſunt omnibus
ex nihilo penitus oriundi principium non ſit. In-
de exorſa: ſcopo quem ab initio in generatione
propoſuit intenta: perfectum ſcilicet quod gene-
randum eſt: (animal aut planta ſit): efficere.
Perfectum autem id eſt: cui nulla propriarum
actionum de eſt. Firmioribuſq; eſt inſtrumentis
opus: Vnde reperiantur uiuẽtib⁹ duriores mul-
tæ partes eſt operepretium. Contra quã in per-
fecto animali ſint: initio molles neceſſario. Vt
apta enim ſit materies: tractabilis: & uſq; quaq;
ſequax opifici eſt operepretium. Propterea quã-
uis durum ſemen: ſimmetro humore madidum:
initio tenera ſtirps euadit: ut pro ſemine mox na-
tura fiat. Si animalis igitur fœturam ex ſubſtan-
tia initiari molli & perfecta: euadere in duram eſt
operepretium: in mixtura conſtituentium ele-
mentorum prima: humidum ſiccumq; præſtet:
eſt opus: Aquea natura humido ſane refertur.
Siccum natura duplex: & a terra: & ab igne pro-
uenit: Quod ſi initium animalium fore humi-
dum

dum maxime requiritur: à principio copioſior terra admiſceri nequeat: Sic ignis in animalium prima generatione: & ſtructura pollet. Si naturæ igitur ubi ad ſúmum uigorem animal plantam'ue prouexit: totidem rurſus æquis uiribus elementa inſerere pariter liceret: ſcitum moderatorem nacta: opificium ſuum citra ſenium & in corruptibile feciſſet: Sed ex malo uictu: neq; ſic etiam nequeat corrumpi: quo ægiptius loco ſuper. poſſibili re: artem ſuam demonſtraſſe dicat. Nunc quando inſeri: & mutari animalium & plantarum primæ fœturæ eleméta nequeunt: ultra uigorem exiccari corpus eſt neceſſum: citra ſiccantē cauſam nō potens: ſed modica ſtatim in inclinatione ſiccitas: pleroſq; ꝙ non ſit dū tabes præterit. Senium autem: non genere ſed ſola aliud quantitate eſſe manifeſtum noſcitur. Hæc neceſſitatis cauſa: ſpacio integram uiuentum ſiccitatem: non ignaris penitus demonſtrat: quidq; abortu euitari: aut quid ultra protrahere nō liceat. Qui enim? quæ primordia generationis animalium neceſſario ſequuntur: fieri uetet: quis? aut facta infecta reddat? Cæterum quod ſit ſenectutis initium: quando'ue primum id obire corpora incipiant: cenſere nunc præſtiterit. Enimuero qui uigoris inclinationem primam: ſiccam & frigidam eſſe arbitrantur: ſenum autem humidam & frigidam; ſenectutis ini

tium in hac commutatione conſtitiſſe credunt.
Ipſi quod libro de temperaturis: ab exacto uigo-
re ad extremum finem: corpora cuncta ſiccari de-
monſtrauimus: cum integrum intercidens ſpaciũ
ſiccum ſit: iure unde ſenecte initium auſpicari li-
ceat herebimus. Cum a uigore maior: minor'
ue; huius aut illius ſiccitas: ubi corpus: illius plu-
rimum adeptum ſit: pro initio ſenectutis capi
nequat. Illud plurimum nam'que: ſoreticam li-
tem agitandam ſuſcitat. Licetque ut pluries &
neceſſario accidit: dubietas ea ut uana explo-
dat': certis tamen terminis ſi poſſit: res finire quis
debet: quam quæſitis inutilibus aſtringi. Notæ
autem aperte indecidēte ætate ſunt & ſenio: hu-
midorum excrementorum redundantia. Vnde qui-
ſenium propterea eſſe humidum monſtrarunt: fal-
ſos eſſe dixi. Inualidas hinc actiones: hinc laten-
tes ad interitum greſſus: ab inclinante ætate præ-
cipites cōſpicias: Hinc hypotethica ſophiſtarum
problemata inſurgunt. Morbum & enim eſſe
ſenium alii ſupponunt. Alii ſtatus ſanitatē illius:
Alii neutrum quid: Alii quod a natura ſit: præter na-
turam alii: & hic nonnulli medium: & neutrum
quid: eſſe ſenium affirmant: Vnde nō a natura:
non præter naturam: ſenium uolentes: tertio ex-
cogitato nomine: (non naturam) ipſum eſſe aſ-
ſeuerant: Cæterum huiuſcemodi lites alio tempo-
re licet

re licet perpendamus. Verũ enim uero ſenii marasmum nũq̃ ſoluas. Iuuare autẽ ut dudũ ꝑducatᵉ poſſis. Quam rem pars ea medicinæ præſtat: quæ ſenum ualetudini prouidet γηροκομικὸν dicta: ſcopum pro natura rei habẽs. Obſtare & quo ad poſſit: ſiccitatem eam a corpore cordis inhibere: quæ propriis ſungi muniis ipſum non permittat. Id nãq; uitæ ſupræmum eſt: Cordis officiorũ quies. Quoad enim motibus cor propriis mouetur: animal perire nequit. Si itaq; cordis corporis ſubſtãtiam: uel iecoris reddere humidiorem liceat: ſenium ꝑfecto euitari poſſit. Sin autem quis iecur ualeat: uel cor humidius efficere: cum ſemet ipſis die: magis magiſq; non modo uiſcera: ſed arteriæ neceſſario uenæq; ſicceſcant: ſenium euitari nequeat. Licet eius properatio tardari: Homerum cum alia ſane q̃ plurima: tum hæc de ſenibus phanatice dixiſſe iudices: A balneis ubi comederint molliter (quod ſenes decet) dormiant. Humectãt enimuero balneæ: mollis ſtratus: & ſõnus: præcipueq; cum primis alimẽta. Siquidẽ quæ aluntᵉ: ſubſtantiis corporũ (hæc aſſimilata ſola) partes fiant: Alia tuẽdo a ſiccitate partes ſimilares: uel interualla earum irrigando: augendoq;: humectantium facultatẽ & nomen ſunt adepta. Quo iecur exemplo: & cor humore quo irrigantur aucto: ut dixi licet humidiora fieri. Ea in attenuatis iuni-

oribus corporibus pluries toto corpore liquido abſumi accidit: Accidit idem quandoq; & iecori: & cordi: Quod uero uiſcerum iſtorum: arteriarum & pulſus alterum origo ſit: uenarum & nutritionis alterū: monſtratum eſt quo loco Platonis & Hyppocratis placita cenſuimus. Hæc enimuero uiſcera: non niſi ab extrema totius corporis ſanguinis penuria: mediocri alimēto carent: Iecur q; ſanguis totus: inde initium habuerit: cor facultate trahendi uehementi: Sua nāq; ſibi membra: quæq; alimēta: licet impari ui trahunt: in egeſtate propterea ſanguinis impariter tabeſcūt. Cor nāq; cum ualentiſſime attrahat: non prius q̄ ultima ſit membris omnibus inopia: caret alimento: ut ne credamus: quando ex diuturna mala ualetudine corpus emacuerit: cor eſſe & iecur pariter partibus aliis attenuata. Id uel in aliis uolens animalibus inſpicias: ſi diuturna fame maceratum diſſeces: Tenuatas: & pene ſiccas alias partes uideris: iecur una cum corde: in naturali fere ſtatu. Qui enim ob inediam pereunt: non tanta alimenti ſolidorum corporum inopia: quanta qui iugulātur ſpiritus. Sic mollib⁹ ſunt & humidis partib⁹ æque ac uiuentes: cum quantum humidi aderat: alimento iam proximi: integrum ſeruetur. Qui autem propter famem pereunt: ueram Hercule tabem propius accedunt: Vnde ubi non exactum

adeo

adeo ſermonem occaſio requirat: maraſmatos eos nominabimus: cum tabidi reuera non dum ſint: ſaltem uniuerſis partibus: quæ omnia maraſmus uerus ſimul: unde & ad principia etiā traducitur. Eſt uero in ætatibus (hic) ſenium: in affectibus præter naturam febris tabida. Eſt & ſenio aſſimilis alius affectus: quem ex morbo ſenium ſi dixeris: non ut Philippus: qui unam ex tabidis febrē eſſe dixit: deteri⁹ enunties. Febris enim nō eſt (affectus) in quo cor fiat debito frigidius. Quod autem eius temperaturæ ſit: notam non minimam ex paruo & raro pulſu: ut etiam Philippus tradidit habebis. In negocio enim de pulſibus: eſt declaratum iſtiuſmodi pulſum fieri ex frigore: At qui ſpiritus ſic affectus: ac pulſus pariter paruus: rarus: & per interualla tangitur: ipſe quoq; eorum quæ circa cor ſunt: frigidatem indicans: quam re in libro de diſpnea etiam monſtrauimus. Spiritum enim uero nō calidum emittunt: frigefacti principii notam euidentem: ut calidi contrarium. Quomodo igitur ſi febriunt: neq; thorace: pectore ue: ſubalis: aut coſtarum curuis: ad ſpinam uſq;: aut aliunde calent? Quæ omnia Philippus nihilo minus cōfitetur. Pulſus tamen duritiem: febris notam præferre aſſerit: quam præſcripſit febribus omnibus archigenes. Verum enim uero ſi de uera

pulſus duritiæ intelligit: cum eadem ob arteriæ ſiccitatem tabidis maraſmatis ue etiam contingat: nihilo magis nota febrium extiterit. Si autem quem durum Archigenes: tenus nomine uocauit: rem cui nomen indiderat non habens: fuſius ego id: in negocio de pulſibus explicui. Ex morbo utiq; ſenium: cum ſiccitati frigiditas adiūcta ſit: febris non eſt: at alia ſpecies exurens: maraſmus profecto eſt: ſicut & qui cum ſincope: cui eſt frequens atq; paruus pulſus. Peculiare autem maraſmi exurentis eſt: ut expirantes: quod ex ardore capias: ſpiritum calentem mittant: cui ex calore & ardentiſſimis febribus: in ſicco ſtatu potiſſimum eſt ortus. A ſincopoſis uero maraſmis habiti: ubi diſcrimen uehemens euaſerint: dudum reliquiis etiam affectus detinentur. At frigidus maraſmus ſenio aſſimilis: ex permutatione oritur febrium: quæ ſecus quam oportuit refrixerint: tum frigidæ potu: tum medicamentis id genus: præcordiis thoraciq; adhibitis. In oportunitas autem adhibitorum: eſt bifariam. Immoderatus enim frigidorum uſus: & nō congruum tēpus: & ambo ſimul: affectū excitare poſſunt. Q d' autem legitimus maraſmus: ſiue tabes: curatioēm non recipiat: antea cum loqueremur de ſenio diximus: & modo repetetur. Simile enim legitimū ſanare maraſmū profitentibus contingit: & putri-

das

das iam luxatas coſtas reſtituere. Quantũ enim uterq; affectuum naturam ignorarunt: ardua tantum aſtruxiſſe arbitrati ſunt. Attenuatos certe nonnullos curauerunt: quorum cum duplex habitus exiſtat: priuatim de ambobus dicam. Fit enimuero attenuatorum: altera affectio: ubi corporum ſolidorum abſumptus humor ſit: quē proprium alimentum eorũ dicebamus: & molliores carnes extabuerint: Altera quando prima quidē ſimilaria dicta: ſolida corpora attigerit: Hæc ꝓcurationē: ſicut nec ſeniũ etiam: admittit. Prima autē maximi utiq; diſcriminis: curationē tamen penitus nō reſpuit: ſed cōmuni genere cũ aliis omnib⁹ cōmunicans: ꝓſidia quæ aduerſent affectui expoſcit. Non autem ut aliæ plures tuta eſt. Humectare profecto has tres affectiones eſt neceſſe ob ſiccitatē (rē omnib⁹ cōmunē). Vna ut calefiat eget: quam ſenio aſſimilauimus: ſicut & refrigerari una: quā deurentē maraſmum aut tabē dixim⁹. Simcopoſa ſola non quæ iam facta ſit: id enim nunq̃ obliuiſci uelim. Sed quæ etiamnunc fiat: ex innati ſolidarũ partium humoris dumtaxat diſpēdio: curatione mixta eget: Hi ſunt curationis ſcopi: At quo quis pacto: præſidiorm materiam reperiat: ſimulq; rationem uſus: eſt modo perpendendum. Melius enim fecerit Philippus miſſis quæ uolumine primo de maraſmo ſcripſit de af-

fectus origine: de differentiis: de permutatione eius: quo dignoſci pacto debeat: & de curatione non nihil tradidiſſe. Nunc ut uidetur: prætermiſit omnia: Ego namq; pluribus utiq; annis: ſecundum de tabe librum (querens) non reperii: nec quemq̃ qui legiſſe eum fateretur audiui. In primo enim libro: quem ne primum etiam aliqui inſcribunt: ſed ꝙ ſecundus nuſq̃ ſit: de maraſmo ſimpliciter inſcribunt: de uſu balnearum meminit: non ꝙ ſint illæ utentibus præſidium: cum tabidos lędi ab ipſis arbitretur: quaſiq; de illis præter rem meminit: nec aggreſſus rem eſt: neq; ut ſui eſt moris: de præſidio quicquam exacte pertractauit. Nihilominus: humectare tabidos liquido cognoſcitur: ut licet uideas in his qui ſub æſtiuo ſole iter fecerint: modo ue quo uis alio exercitatis: et excandeſcentibus. Hos inquam omnes: & ſitientes humectare: & a ſiti liberare nititur: Alios ꝑterea quomodocũq; exiccatos uigiliis: ſollicitudinibus: uenere: cibis: ſiccante pharmaco: aut ira humectari ab ipſo uideas & refici. Tamen balneas uere tabidis: quibus præſidia alia non ſint: uituperare Philippus mihi uiſus eſt: ut bifariã a ſententia eius diſſentiam: Quodq; tabidos uere curari aliquos crediderit: & ꝙ balneas uituperet. Certam namq; efficaciæ eius uim: in non deplorata tabe licet experiri.

Hos

Hos forte nec tabidos exacto nomine aliqs uocauerit: ſed quando rē: oratione clara explicare poſſumus: nominum neutiq̄ ſatagimus. Tres etenim primæ & communisſimæ differentiæ febrium cum ſint: diariis nunc miſſis: de his quæ fiunt ex humore dicam & de hecticis. Quas enim febres putris excitarit humor: coctione facta Balneæ procurant. Hecticis etiamnum ſolis: & abſq; febris ullius implexu: balneæ perpetuo medentur. Si cui præterea putridarum febrium: hectica implexa ſit: eædem a coctiōe proſunt, Nec diuerſa propemodum: frigidæ præbendæ tempora cenſeto. Si aberretur autem: fiet cum iactura maxima: ubi (iiſdem) ni uires imbecille obſtent: eſt abſq; diſcrimine uſus balnearū: Ipſiq; plures creditos maraſmo affectos eſſe: iis præſidiis curauimus. Quoniam autem primo de differentiis febrium libro: dictum eſt q̄ ex diariis aliquæ cū hecticis genere cōmunicant: nec primo die exacte ſatis: ſed ſecundo: aut certe tertio noſcuntur: a cognitione ſtatim: ualēte ad huc robore: diſcrimine omni procul eſt gelida præbēda. Q̄d robur: q̄ ſanguis copioſus adhuc adſit: ſpacio enim euadunt imbecillæ uires: & minori ſanguis quantitate ſupereſt. Quo circa duplex plerunq; nocumentum accidit. Quodq; frigidæ potu: partes percutiuntur aliquæ; & refrigeſcunt:

quodq; debita quãtitas: dum exhibentes præterit: non modo alia ab intenta: pars frigida euadit: ſed illa ſimul quæ febris initium extiterit. Siq; una cor largius refrigerarint: Si humorem (id) innatum feruet: uirtutis caſus accidit: ſi ſicceſcat autem: ſenio ſimilis affectio ſequetur. Quo'que tempore: hecticæ primæ cognoſcuntur notæ: frigida (quaſi febriũ cauſis) applicita extrorſum: ſumme plunt. Sed de his inferius mox exacte diſſeremus. Nunc ad balneas redeo: ſqualidis febribus cunctis: niſi implicitum aliquid obſtiterit: maxime pſentes. Et ſi inuiuente ſqualor exuperet (uel propriis in laribus: farmacis frigidis etiam præſtantiores) Febris lares: hanc uiuentis partem in quam: quæ immodice propriis ſolidis partibus: primo excandeſcit. Cor enimuero primũ: modum calidi excedens: febrem hecticam accendit: mox nõ ſe ipſo (more cordis) iecur: ſed q; agatur in conſenſum (ubi affectus cor cauſa non ſit) a proximis corporibus. Ab his eſt uenter: & a uentre: quotquot largius calefaciendi cor: habent facultaté. Q d' ex uicinia uero ſit: a pulmone primo calefactum cor hecticam: & ſiccam febrem concitaret: cuius maraſmus utiq; eſt comes: At humor uiſceris: & ſpiritus refrigeratio: affectum hac fieri cauſa impediunt. Cæteris autem ex uiſceribus: ut plurimum ab affecto loco inuentré

redundans

redundans bilioſus ſuccus: hecticas ciere febres poteſt: Vnde Philippus tabidorum plurimos ab eriſipelatoſo affectu uentris: male haberi arbitratus eſt. Quod ſi in uentre: in iecore etiam fore eſt credendum: cum his affectis: tabem fieri cenſeat Philippus. Sed & non raro: ipſe nullo horum affecto: maraſmum fieri ex corde nonnullis conſpicatus ſum: quam rem qui prætererit non uideo: qui nec iecore: uentre ue: dumtaxat affectis: ut tabida febris fiat (corde illeſo) demonſtrare ualeat: Verum non modo in hoc uno: deceptum eum eſſe credo: ſed q ex aliis partibus: tabem cõmitti poſſe non crediderit: cum uenter ſolo eriſipelate febrem eiuſmodi committat. Abſque hoc etiam cum corpus: citra bilis ſuccum arſerit. Pars etiam alia ſimiliter afficiatur licet: quæ ſi id genus ſit: quæ in conſenſum caloris: cor trahere poſſit: ne febrem affectione ſua non committat nequit fieri: eaq non ſoluta: tempore hectica: penitus maraſmum inferat. Verumtamen quod prius dixi: litigandum de nominibus non eſt: ſed ut quæ corpus ſiccant affectiones omnes dignoſcantur: probeque curentur incumbendum. Ex quibus una ignei caloris eſt: quam (ſi ſit ſola) balneæ procurant. Diximus namque ab eriſipelatoſo affectu: hecticam oriri:

& maraſmum : refrigerantis cibi apprime : potuſq; egentem : non minuſq; extrorſum aliis applicitis. Hæ citra implexum alium : ut ſiccitates omnes : calidæ frigidæ'ue ſint : balneas deſiderant. Mirum enim opus balneæ hoc præſtant : q̃ ſiccitatibus calidis pariter ac frigidis : occurrunt. Veluti ſitibundos qui non ſitiant efficere : & liberare a ſiti qui ſitiuerint : quæ omnia citra rationem prouenire ab ipſis apertiſſime cognoſcitur : Qui ab itinere nãq; & ſole : calefacti & ſiccati ſunt lotos modo miro frigidos fieri cõſpicias : atq; humere : nec disſimiliter rigẽtes uehementi gelu calefieri. Fit item ut qui propter iter & ſolem ſint ſiticuloſi : ſi lauerint non ultra ſitiant : & qui non ſitiunt : a balneis bibere deſiderent : qui in illis diutius debent immorari : illi lauari ſemel : Qua ratione iſtiuſmodi euentus fiant alibi explicuimus. Nunc eſt ad inſtitutum redeundum : q̃ febribus quibuſcunq; tabidis : ubi immixte ſint : balneæ proſunt. Cum eriſipelate uero : aut inflammatione : putrẽtibus'ue : & in coctis circa corpus ſuccis : ledi balneis contingit : nõ utiq; ob hecticã : ut nãq; febris eſt : potu extingui ſemper & balneis iuuari æger : ſed ob implexum affectuum leduntᷣ qui laborant. Efficaciſſima præſidia : & apprime præſentanea : quæ maraſmum amoliri ualeant : quib⁹ audẽtiſſime cõtra tabidas utaris febres : iſta

ſunto

ſunto : At ſi eriſipelatoſus ſit affectus : eſt bal-
neis parcendum . Vbi uero conſtiterit eſt fri-
gida agoniſtice præbenda . Sic namque dum
tradimus copioſam dicere ſolemus aqua : niſi
conſuetudo : & operoſa ſitis tolerantia uetue-
rit : inter initia erit temperandum : & admouen-
da extrorſum quæ refrigerent : & niſi iuuerint in-
tus uel coacte dãda . Præcipue autẽ humidæ lactu
cæ & nouellæ proſunt: puro frigore ſic aſſũptæ ad-
uerſiſſimæ . Quod ſi quando inſuauitatem ob-
lationis earum: mulcere laborantibus egemus: oxi
crato (uini modo uires abſint) madidæ poterunt
cõcedi . Cuti etiam lactucæ illitus ſuccus eſt exuſu:
ſedi etiam : ſereos : & frigida quæcunq;. At præci-
puus ſuccus eſt ex immaturis uuis . Quarum
cremor portulacis admixtus : contuſus : & ex-
præſſus: demũ in uaſe pleno gelidæ impoſitus: ubi
ſit opus: ad eiuſmodi uſus nobis eſt familiaris mul-
tum . Efficaciorq; ſi niuis quicquã inſit: cuius ad
illitum albioris farinæ aliquid adiungimus. Et du-
plici etiã linteo ſuperlito : quando oporteat : extra
præcordiis appoſito : non dimittentes dudum: ſed
quoties tepere ceperit auferendo : alio ſimili ada-
cto : id uſq; agentes : ꝙ intus patiens ſeſe refri-
gerari : atq; a ſiti minus laceſſiri ſentiat. Atq; inter-
dum: ex acerbis oleis oleum aut rhodeleon adiun-
gimus : Si quid præſertim inflammationis in hy-

pocondriis extiterit: Hoc utiq; ingenio eriſipelato ſi affectus ſunt refrigerandi.. Sciendum tamen: cum illis non poſſe exactam hecticam coniungi. Hectica enimuero principio: in cremento: uigore & omni particularis acceſſionis inclinatione uacat. Diximus autem in libro de differentiis febrium: præter alia: hecticas eſca ſola: ueluti calcē inſperſam aquis ebullire: eaq; abſente irritatione: ſtatum eundem reſeruare: Quod ſi quādo incrementum quamuis breuiſſimum: aut acceſſio intercidat: uidendum eſt: humorū putredo ne aliqua: alius'ue prope cor locus: antea fuerit affectus: qui non ſimplicem: aut hecticam affectionem habeat: ſed inflāmationis aut eriſipelatis participem: & hoc exemplo ſua cuiq; affectui eſt curatio molienda. Deurentis ſane maraſmi initiis: cū ab ardente ſit: refrigerantia præſidia occurrunt: ſuper affecto loco tum poſita: tū interius aſſumpta. Quod ſi ex morbo ſenium prouenerit: ſi exactum iam ſit: utiq; præſidia non ſentit: ſin abſolutum eſt: ſed prope fiens: reſumptionem unicū curationis inſtitutū habet: quam etiā refectionem appellamus: quæ & ex pluribus eſt particularibus operibus plurima obſeruantia ægentibus: de qbus ſi nunc ægerim ſermo prolixus nimium euadet: ſed in medendi methodo de his abunde dictum. Satis nunc ſit: ꝙ ſolidorum corporum ariditas alimentis

tis

tis reparatur. Quod autem alimentũ non ſe ipſo ad ſingulas partes corporis digeritur: Sed ab his trahitur: quæ enutriri ualeant: in negocio de naturalibus potentiis monſtrauimus. Hæc autẽ cum inbecilla ex maraſmo ſint: & propter ſiccitatẽ inualida ad attrahendum: frigore accedente: mortua fere euadunt. Alimento idcirco quod ſine negocio trahatur ægent: ut quod robori deſit: alimenti infirmitas rependat. Facile autem quod tenuibus partibus ſit: & natura calidis attrahitur: ſed fere nihil nutrit. Demonſtratum eſt enim alimẽta craſſitie ea: & glutinoſitate eſſe oportere: quæ non facile in halitũ ſoluant: ſed promptius alendis corporibus aſſimilentur. Hæc uero propoſita cũ inter ſe ſint maxime aduerſa: alimẽta utrunq; probe præſtantia non habeas. Nihilominus qđ aliquo hæc efficiat pacto: eſt ſtudioſiſſime ueſtigandum. Ad hæc autem: nihil mihi lacte p̃ſtantius ſane uidet̃: ſi præſertim: mãmã ſugere quis ori impoſitã minime abhorreat: ut in phtiſicis Eurifon: & Erodicus p̃cipiunt. Sin autẽ ab aſina calidũ capiendum adhuc eſt: quod q̃ min⁹ poſſit ambiẽti fuerit expoſitũ. Idẽ de alimẽtis inſtitutum: nõ modo ſimilẽ affectũ ſenio habẽtibus: atq; maraſmo ſincopoſo expedit. Sed huic etiam: quem deurẽtem Philippus appellauit: in q̃bus alimentorum materia: non ut in ſenio calida: ſed frigida eſt operepretium: Media

ambarum eſto quæ ſincopoſis exhibetur. Lac igitur ptiſſana: & condrus: his eſt tribus affecti bus ex uſu: ſed aceto condrus: & ptiſſana per corpus promptius digerit: Mel uero in frigidis affectibus eſt maxime idoneum: econtrario calidis aduerſum: hiſq; item ſic habens quibus iam dicti immineant maraſmi. Deurentibus namq; penitus aduerſum eſt: affectu (ſenio ſimili) periclitantibus admodum expediens: ſimcopoſis ni ſit impedimento uenter: & ſolum: & cum cibariis aliis poteſt utiliter concedi. Balnearũ uero ſi oportunus ſit uſus: cum ad prædicta alia: tum ad alimẽti digeſtionem eſt efficaciſſimum præſidium: Non tamen ab inedia diuturna: ſed acoctione utentib⁹. Huic enim qui nuperrime cibaria ingeſſerit: balneæ adhibitæ: crudis corpus ſuccis & in coctis implent: iiſdem ab inedia eliminantur uires. In aliis autem corpus conditionibus in mox citato præcipue lauacra ſunt acoctione adhibenda: At uini uſus infrigido maraſmo: eſt apprime utilis: a quo indeurente: eſt abſtinendum maxime. Inſincopoſa locum medium obtinuit: q medius et mixtus etiam affectus ſit: frigoris non nihil atq; febris retinens. Eo enim in aduerſa mutato: ut frigus & pulſus nunc caſum: & ut ſemel dicam: quæ propria ſũt ſincopes adducat: modo calorẽ & pulſus de urẽtis ſimiles adeo: ut pro uincẽti re curationem commutare

mutare ſit opereptiũ. Sincopóſis uinũ: quæq; tẽperate alant: exhibentes: nec non quæ corpus totum uniant atq; adſtringant. Indeurente autem: ea quæ omnib⁹ his rebus ſunt aduerſa:
Sed qui congruat uſum ſingulornm:
exercitatus in negocio methodi
medendi própuſſime reperiet: Hic nãq;
non quibus
uis liber ſed habentibus aliquẽ artis habitum
eſt editus.

Τέλος.

❡ Lector Impræſſoris mendas notiſſimas citra negocium tute emendes.

REGISTRVM

A. B. C. D.

Omnes Quaterni.

FLORENTIE Per Benedictum Giuntam.
M D XXXVII.

¶Ego Antonius Mazochis: & Niccolaus Guccis
Cortonenſis Impræſſores.

5262242